inſunt enim ei vires efficientes inſitae (§. 5.); (s) minusque motibus naturalibus opitulatur; motui nimirum cordis, reſpirationis, inteſtinorumque, et iis qui ſecretionibus et excretionibus contingunt, quam iis, qui per cogitationem et voluntatem fiunt, qui ſola illius ope perficiuntur; tametſi quidam eorum ad utrosque vergant, ſeu compositi sint; minimeque proxime et immediate iis opitulatur, procul vero omnibus, et quodammodo mediate, per fluidum tenue et celeriter mobile a cerebro ad nervos propagatum (§. 4.). Quod cum propius naturam ejus attingat, quippe viſum et tactum ſat effugiens, mediumque ſit, inter ſubſtantiam immaterialem et materialem, utriusque etiam functiones conciliare poteſt, prouti haec ab actionibus animae, ut etiam a ſtructura cerebri et nervorum clare apparent. Corpus ergo vivum animatum eſt, quatenus cogitatione et voluntate, ſenſuum etiam facultate tam externa, quam interna agit (§. 7.).

(s) id. ib. §. 562.